



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 40. Sessio X. Concilii Lateranensis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

vivere, semper paratus esset. Primo saecul. XVI. A.C. 1515. equidem Papa, ut se integrum, liberumque conservaret, ægre admodum consentiebat; at postquam eidem proponeretur, quod vix a quovis alio Principe pro tuenda Sedis Apostolicæ auctoritate, propriæque Domus suæ incremento ampliora, quam Galliarum Rex polliceretur, sperari possent, ac præterea neo-electus Rex unius saltem anni cursu indigeret ad hoc, ut subditorum suorum affectum sibi conciliare posset, eo quod necdum Regni sui vires sibi perspectas haberet, proin adhuc illis uti minime valeret, hinc Leo, quamvis ejusmodi rationes veritati minus consonas censeret, illis tamen se victum simulabat, ac neutri parti favere pollicebatur; interim vero cum Rege Catholico foedus sancire intentus erat; Ferdinandus enim Pontificis amicitiam conservare, Gallosque ab Italiæ accessu arcere, summis votis anhellabat.

## §. XL.

*Sessio X. Concilii Lateranensis.*

Ceterum omnes hæ rerum vicissitudines Cons. Labb. t. 14. p. 249. & seq. nullatenus Apostolicam Pontificis sollicitudinem interturbabant, quominus præstituta die quarta Maji Sessionem decimam Lateranensis Concilii celebraret, ei que ipse præsideret. Intererant que

**Sæcul. XVI.** que viginti tres Cardinales, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum & **A.C. 1515.** Doctorum quamplurimi. Re divina per Archiepiscopum Gnesnensem peracta, Patracensis Archipræsul sermonem habuit, quo finito Cardinalis S. Eustachii ex cap. 18. v. 23. S. Matthæi Evangelium decantavit, quod inquit: *Simile est Regnum Cælorum homini Regi &c.* Demum Sabaudiæ Ducis Oratores mandatum sui Domini obtulerunt, vi cuius ipsis sacræ Synodo assistendi facultas data erat; perlectis igitur hisce literis iidem ad Sanctitatis suæ pedes provoluti, sacro osculo obsequii sui pensum exsolvebant. Exclussis denique iis, quibus Concilio interesse haud licebat, fores occludebantur.

## §. XLI.

*Decretum de Montibus Pietatis.*

**Conc. l. c.**  
**p. 250.**

**H**is peractis Bertrandus Episcopus Adriensis, consensu suggestu illud prælegit decretum, quod *montes pietatis* concernit. Neminem latet, nomine *montis pietatis* in Italia intelligi locum, seu publicum ærarium, ex quo egentibus pecuniæ vel aliæ res mutuo sine usura dantur, acceptis vicissim pignoribus, quæ pecuniis mutuo datis infra præfixum tempus non solutis vendi possunt. Igitur in hoc decreto declarat Pontifex, ejusmodi